ORATIONEM

in

MEMORIAM SCHUESSLERI

VIRI DE RUTHENEO PRAECLARE MERITI

d. XXVIII. Novembr. a. MDCCCXLII. hora XI. antemerid.

in

AUDITORIO MAIORE

habendam

indicit

M. CHRISTIANVS GOTTLOB HERZOG

SERENISSIM. PRINCIPIBUS RUTHEN. A CONSIL. SCHOL. GYMNASII DIRECTOR SOCIETAT. LATIN. JENENS. ET SOCIETAT. LITERAR. LUSATIC. SODALIS.

Observationum Particula XIV. in qua agitur de Latinorum formula: *Sunt — qui.*

GERAE,

EX TYPOGRAPHIA AULICA.

Scriptionibus, quibus memoria recolatur **Schüssleri**, viri sua in Gymnasium nostrum liberalitate ac munificentia de optimarum artium studiis egregie meriti, quum ea praestituta sit conditio, ut paucas intra paginas coerceatur, quidquid commentandi copiam fecerit, ante omnia id cavendum nobis esse videbatur, ne ipsis illis limitum praescriptorum angustiis orationis vixdum inchoatae filum subito abrumpere cogeremur. Itaque abstinendum esse credebamus ab argumento grandi aliquo et copioso, et cui continuationis quaedam inesset necessitas; potiusque videbatur et ad consilium propositum accommodatius, ejusmodi locum eligere, cui nec commentationis nostrae brevitas, nec orationis exilitas damno esset aut detrimento. Quo ex genere esse speramus breviter haec et modice ad locum quendam Grammaticae Latinae adnotata: quae num quid aut quantum utilitatis luminisve allatura sint, ambigere licet et ego ipse dubito, quin multum sit. Verumtamen non frustra in hoc disquisitionis genere elaborasse mihi videbor, si contigerit tum animos tironum attentiores reddere ad naturalem illum rationis et orationis nexum et consensum, optimo cuique scriptori diligenter observatum, tum virorum eruditorum auctoritatem in hoc veluti disceptandi periculum ac consortium devocare. Causam autem commentandi dedit Horatius atque ex interpretum praestantissimi poëtae numero paene infinito Orellius, vir in paucis admirabilis, non magis ob eruditionis subtilioris promptam et paratam copiam, quam ob singularem quandam et incredibilem in tota antiquitate, Romana maxime, quum perscrutanda, tum illustranda diligentiam et assiduitatem. Is familiari sua, quam ipse vocavit, Carminum Horatianorum interpretatione effecisse mihi videtur, ut si forte Horatianae Musae studium apud nostros homines relanguisset aut passim obdormivisset, denuo id liberali quadam invitatione et suscitaretur et acueretur. Etenim uti modesto nitore, quo ille typis exarari librum curavit, lectorum animos oculosque ad legendum allexit, ita sermonis elegantia et doctrinae copia aptoque rerum delectu invitatos retinet inque suam simul ac poëtae gratam et acceptam familiaritatem deducit. Sed quemadmodum inter familiares usu fere receptum est, ut, dum in rebus gravioribus inque praecipuis disciplinae alicujus locis consentiunt, de nonnullis unius loci particulis secus statuere liceat, si cui forte dubitationis aliquid inciderit aut su-

spicionis, ita et mihi a praestantissimo viro id concessum iri sperabam, ut quae in ejus interpretatione familiari minus probabilia visa essent, aperte declararem. Sunt autem plura; ex quibus nunc unum potissimum locum pertractare in animo est, ita tamen, ut non tam doctorum virorum auctoritatibus multisque undique collectis exemplis contendam: satis habebo, judicii mei discrepantiam paucis indicasse idoneisque argumentis, quantum fieri potuerit, firmasse. Impulit autem ad hoc censorium veluti munus non fastidiosa quaedam animi arrogantia, qua qui inflati sunt, non alia ulla re magis delectantur, quam carpendo, perstringendo, detrectando: istam enim pravam seculi consuetudinem vehementer perhorresco; pro documento potius quaeso habeatur brevis haec commentatio diligentioris curae in optimo poëta recte interpretando collocatae. Exordium igitur sumere liceat ab ipso Carminum Horat. Libri I. principio, ubi Orellius Od. I., v. 3. ad verba Horatii „*Sunt quos juvat*“ adnotavit haec: „Hanc constructionem alteri cum Conjunctivo plerumque praefert Horatius, ut poëta, rem certam et quotidie prope oculis propositam significaturus. Cicero semper construit cum Conjunctivo.“ — Sed triplex mihi haec ita adnotata legenti suborta est dubitatio. Primum mirabar, quod ista constructio poëtae adserta esset tanquam propria et singularis; quamquam eadem est Reisigii sententia, sed confidentius illa quam verius pronunciata, ideoque ab Haasio, viro acutissimo, diligentius ponderata atque ad certiores leges adstricta: [1]) constat enim et aliis multis, rerum maxime scriptoribus, istam locutionem identidem usurpatam esse. Tum eandem verborum structuram prope necessariam crediderim, ubi res certa et quae ante oculos posita est, omnino quam quis tanquam expertam et compertam denotare voluerit, significetur. Denique, quum in ipsis etiam Ciceronis libris tam manu scriptis, quam qui typis exarati summaque diligentia per tot seculorum decursum a doctissimis viris recensiti et castigati exstant, nec librariorum nec grammaticorum aut interpretum ratio sibi constiterit atque etiamnum in quibusdam locis quum scripturae, tum judicii maneat diversitas: satius haud dubie erat et ad tironum intellectum accommodatius, si Orellio placuisset suum de Ciceronis dicendi consuetudine judicium ita temperare, ut quae in ista orationis construendae lege a nonnullis admissae fuerint ac defensae exceptiones, non prorsus reticerentur, praesertim quum qui legem illam pervulgatam ac prope sancitam impugnarent, nonnulli exstiterint et auctoritatis pondere et eruditionis judiciique subtilitate praecellentes viri: ex quibus Klotzium (cfr. ejus adnotat. ad Cic. Tuscul. III, 35, 76.) honoris causa nominasse satis habeo. Accedit, quod ipse etiam Orellius Indicativum in tali conditione a Ciceronis oratione non prorsus alienum esse censuit, certe si quis Codicum auctoritati tantum concessum velit, quantum debetur. [2]) Sed ne in eo quidem Orellius ex aequo judicavit, quod Horatium Conjunctivum Modum Indicativo praetulisse affirmat; siquidem ex comparatione locorum Horatianorum a Regelio ad Horat. Od. I, 1, 3. et ab Heindorfio ad Sat. I, 4, 24, facta patet, Conjunctivum aut ad summum unius alteriusve exempli abundantia in oratione Horatiana Indicativum superare, aut justa aestimatione facta, unum Modum cum altero aequo veluti Marte contendere. Itaque quum non modo in ambiguo sit, utri dicendi formulae priores ab Horatio veluti partes tributae fuerint, sed gravior multo potiorque quaestio sit, num primae istae aut secundae partes temere ac fortuito distributae fuerint, an id

---

[1]) Cfr. *Reisig's Vorlesungen über lat. Sprachwissensch. S. 606.* Consentientem praeterea mecum habeo *Lübkerum* in: *Commentar zu Horaz's Oden Buch I—III. Schleswig 1841.* Is autem p. 9. Orellii adnotationem arctioribus quidem limitibus circumscribendam esse ait, argumentis nonnullis extrinsecus allatis; sed de suis nihil addidit; post in appendice p. 539. totum se ad Jacobsii, Gymnasii Lubec. Directoris, sententiam (*Osterprogramm 1840*) accommodavit.

[2]) Cfr. Gernhardi Opuscula p. 106. Kuehner ad Cic. Tusc. III, 31, 76. et Orellii ad eundem locum adnotationes crit.

considerate et consulto ac certa quadam lege factum sit; quumque poëticae illa dictionis vis et alacritas, qua Indicativi usum niti Grammatici ferunt, modo intentior, modo remissior appareat, ego equidem a me impetrare non potui, ut in iis acquiescerem, quae passim a viris doctis de re in utramque partem flexibili, varia et ancipiti tradita et promulgata reperi. [3])

Accedebat necessitas quaedam, quae me interdum, nescio an alios praeter me magistros, juberet artis nonnulla praecepta, qualia in Grammaticorum libris exposita leguntur, ad tironum intellectum magis accommodare, eoque adduceret, ut si quae forte fusius explicata essent, in summam redigere conarer mente ac memoria facilius comprehendendam, ac quae forte divulsa et dissipata viderentur, certa quadam ratione constringere tentarem. In qua quum meditatione, tum ingeniorum exercitatione cavendum esse ipsi experti novimus, ne argutiis tempus teratur, neve ab sermonis quotidiani usu optimorumque scriptorum consuetudine tota ista ratiocinatio nescio quo comminiscendi studio plus minusve ad alia omnia deflectat. Hac igitur cautionis lege accurate observata et structurae illius, cujus explicandae locus ille Horatianus copiam nobis fecit, diligentius explorata conditione, aliqua saltem spes est, nostram de ista dictione sententiam, etsi non a subtilitatis reconditioris laude, tamen ab novitatis quadam specie commendationis nonnihil habituram.

Ac primum quidem constat, eorum quae tanquam propria homini alicui oratione adseruntur, quaeque a Grammaticis singulari nomine *Attributa* vocantur vel, notionum discrimine passim sublato, *Praedicata*, duo maxime esse genera: unum, quod ad animum ejusque adfectiones, varias sane ac prope infinitas, referre licet; alterum quod ad actiones hominum spectat eorumque vel negotia vel conditiones vel necessitudines. Porro nemo facile rerum humanarum tam imperitus est, quin et intellexerit et concedat, prope admodum, immo proxime inter se distare ista duo veluti regna, in quibus omnes illos et versari et dominari haud inepte dicas, qui mente sua et ratione utuntur meditando, cogitando, judicando deque aliis alia referendo aut enunciando. Ipsa autem illa adfectionum sensuumque cum actionibus hominum cognatio, et quae inde necessario consequitur in unum alterumve genus aberrandi facilitas, praecipua causa esse videtur, cur etiam judicando et eloquendo non ita sibi constet scriptorum Latinorum ratio et consuetudo. Scilicet persuasum mihi est, locutionem illam „*Sunt qui* cet. utrumque dicendi Modum, de quibus quaeritur, admittere quidem, sed ea distinctione facta, ut unus aut alter necessario requiratur suumque locum obtineat, prouti auctori alicui placuerit sententiam suam atque enunciationem vel ad animum referre ejus, de quo judicat, vel ad ejus facta et negotia. Haec enim, quia meri sunt vel voluntatis vel cogitationis eventus aut effectus, atque ob id ipsum ante oculos posita et quodammodo cuique animum attendenti conspicua et manifesta, hominibus, qui in iis versantur aut versati sunt, ita attribuuntur, ut nihil significetur, nisi id quod factum est vel fit, et quod sensibus percipitur; ideoque Latini scriptores Indicativo Modo utebantur, cui haec propria vis subest, ut simpliciter enunciet ac designet id, quod esse aut non esse ponimus et contendimus. At ubi scriptori alicui visum fuerit homines denotare, qui qualicumque animi cupiditate vel adfectu aliquid egerint aut intenderint, omnino, ubi hominum non tam actiones et res gestas, quam studia et contentiones indicare quis voluerit,

---

[3]) Qui novissime hac de re exposuit atque pro singulari ingenii acumine Latinique sermonis peritia perquam subtiliter de utriusque Modi discrimine in formula ista: *Sunt — qui —* constituendo disputavit, Dr. G. T. A. Krüger, in libro nuper edito: *Grammatik der latein. Sprache 1842*, uberrimo, quantum equidem video, grammaticae institutionis fonte atque subsidio, tantum sane is apud me auctoritate valet, ut hoc opusculum prorsus rejecissem, quamquam prope absolutum, nisi meam explicandi rationem a summi illius artis grammaticae doctoris sententia paululum discedere intellexissem. Quod quo jure factum sit, videant eruditiores.

ibi semper fere Conjunctivum Modum in ista locutione adhibitum reperias. Cujus rei causas detexisse mihi visus sum duas hasce: unam, quod Conjunctivo ibi potissimum locus est, ubi notionis fortuito appositae vel adjectae cum primaria aliqua indicanda est necessitudo: ea autem est conditio omnium illarum enunciationum, quas ex alia quadam priore et antecedente pendere dicimus. Alteram causam in eo videre licet, quod Pronominis relativi in ejusmodi enunciationibus singularis potestas haec est, ut ex multis paucos quosdam eligat, quibus aliquid tanquam proprium vindicetur vel attribuatur. Verumtamen in hoc negotio mens humana non uno eodemque modo munere suo fungitur, sed, ni omnia fallunt, duae maxime patent viae, quarum utram ingrediamur, uti optio cuique data est, ita rerum natura et conditio meditantibus nobis magistra quasi et dux adest, neque ita diu ambigere nos sinit, utra tanquam potior et expeditior capessenda sit. Etenim in rebus, quae in sensus incidunt, in negotiis, quae tractantur, in artibus, quas homines colunt, in operibus, quae conduntur, denique in multis aliis exercitationibus, quarum non tam finem atque consilium propositum spectamus, quam formam et speciem externam, plerumque sufficit declarasse, homines iis operam dare iisque occupatos esse, nulla facta aestumatione virium aut intentionis, nulla addita judicii et comparationis factae significatione. Satis habemus de istis hominibus retulisse, quae nobis cognita sunt et comperta: in quo enunciationum appositarum genere et Indicativo Modo utimur et Pronomen relativum nullam aliam vim obtinet, nisi copulandi, velut „*Sunt*, *quibus* unum opus *est*. Alia autem ratio est eorum locorum, in quibus auctori alicui placuit suum simul interponere judicium de hominum quorumdam indole atque natura, deque singulari eorum sive studio sive qualicunque animi adfectione: tum enim exprimatur necesse est interior enunciationis appositae, qua continetur id, quod hominibus quibusdam attribuitur, cum eorum ingenio et natura cognatio. Hanc enim qui indagarunt verbisque exprimere ac declarare voluerunt, non simpliciter de hominum nonnullorum vel virtutibus vel vitiis retulisse aut exempla quaedam protulisse censendi sunt, sed suam illis aut dignationem habuisse, aut arbitrariam quasi censuram in iis exercuisse. Quod ubi fit, Pronomen relativum, quod vocant, non solam copulandi vim obtinet, sed notionem includit talem, quam equidem dixerim *rationalem*, propterea quod enunciatio apposita non ex mera sensuum perceptione fluxit, sed ex ratiocinatione manavit, cujus ope ea maxime assequimur, quae ad *caussas* rerum atque *effectus* pertinent. Talem autem nexum ubique fere detegas, ubi in ista locutione, de qua quaeritur, Conjunctivum positum repereris a Pronomine relativo pendentem.

Sed dum breviter quaestionem institutam pertractare volui, paullo latius haec a me disputata esse sentio: quapropter praecipua disquisitionis membra artius adstringam, quo facilius expeditiusque sit cuique lectorum totam argumentationem uno veluti adspectu comprehendere. Primum igitur censeo, in locutione illa: *Sunt qui* cet. videndum esse, utrum id, quod appositum est, ad animum referatur, an ad facta et res quasdam externas; deinde animadvertendum esse, utrum auctor apposita ejusmodi enunciatione rem modo aliquam compertam referre voluerit, an suum simul de quibusdam hominibus prodere judicium. Tum pro varietate Modorum diversam Pronominis relativi notionem statuendam esse existimo; alias vicem illud sustinere copulae, qua quidquid enunciatur, cum Subjecto, quod nominant, tanquam fortuitum aliquid et accidens connectitur; alias Pronomen indicare singularem quandam hominum speciem et naturam vimque obtinere distinguendi, secernendi: quam vocare libuit *rationalem* ab interiore quadam necessitudine, quae intercedit inter attributum illud et naturam hominum praecipue, interdum rerum, de quibus agitur: quippe tum de hominibus non tam simpliciter aliquid enunciatur, quam *proprium* eis aliquid esse affirmatur.

Verum jam satis dictum esse puto, quo harum rerum periti intelligant, quae mea sit de ista structura sententia; superest, ut aliquot saltem exemplis approbem, non plane commenticia esse aut nugatoria, quae ita a me exposita sunt, neque temere me a vulgari-

bus Grammaticorum praeceptis dissentire: qui quidem dissensus quoad et quatenus pertineat, uti prudentiorum judicio relinquo, ita jam mearum partium non est, pluribus vel excusare vel deprecari. Ad scriptorum potius transeo locos quosdam, quos quantumvis paucos pro multis habeo ac satis valida sententiae meae propugnacula esse credo. Et primum quidem apud Sallustium Catil. c. 17 extr. legimus haec: *Fuere* item ea tempestate, qui *crederent* et c. 22 in. *Fuere*, qui *dicerent*; at contra c. 19 med. *sunt*, qui ita *dicunt*: ad quem locum interpretes pro suo quisque ingenio et exemplorum copiam congesserunt, et Indicativi usum alii aliter explicare studuerunt. Quae omnia equidem nunc non curo: id unum potius velim mecum respiciant lectores, Conjunctivum ea conditione atque tum a Sallustio esse adhibitum, ubi scriptoris potissimum intererat declarare, qui et quales hominum nonnullorum sensus fuerint, quae ipsis persuasio inhaeserit et unde exstiterit: omnino homines eum designare voluisse certae cujusdam indolis et naturae suoque simul judicio inserto significasse, quo illi adducti fuerint, quo modo ingenium suum prodiderint et manifestarint; sic ut luce clarius sit, quam necessario quasi et naturali vinculo *attributum* illud cohaereat cum tota animi ac mentis adfectione et voluntate. Etenim in altero loco, qui est c. 22 in. postquam ingenue retulit *fuisse* ea tempestate, qui *dicerent* Catilinam humani corporis sanguinem, vino permixtum, in pateris circumtulisse, ipse, ut haec omnia ad illorum hominum ingenia referret, addit: Nonnulli ficta et haec et multa praeterea existumabant cet. Ex eodem genere est locus, qui exstat apud Liv. XXXVII, 58 f. *Erant qui* fama id majus bellum, quam difficultate *interpretarentur*: hoc est, si ad nostram rationem et legem explicare velis: Erant, qui animo suo eo ferebantur, ut — interpretarentur. Nam post paullo Livius istorum hominum sententiam corrigit, dum addit: Ceterum *vere aestimanti* cet. Plura dabit exempla Ramshornius in Grammatic. amplior. §. 177. p. 730 seq. quem qui adierint, facile sibi persuadebunt, insignem illum artis grammaticae doctorem non ita procul ab nostra hujus rei expediendae ratione abfuisse. Jam vero, si quis quaerat, cur Sallustius in tertio illo loco, de quo supra dictum est, alterum Modum, Indicativum, usurparit, non ita difficile esse arbitror probabilem hujus constructionis causam adferre. Scilicet, dum scribit: *Sunt*, *qui ita dicunt*, imperia ejus (Pisonis) injusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati — non homines denotare voluit, quibus facere aliquid proprium esset et proclive, sed simpliciter de iis tradit aliquid ac refert, quod ipse vel sciscitando compererat, et quod vulgi ore ac fama ferebatur. Atque ad eandem legem revocanda et dijudicanda esse censeo Indicativi adhibiti exempla, quae apud Horatium prostant. Quid enim, quaeso, *juvat* aliud est nisi eventus atque id ipsum, quod quis assecutus est quodque alicui contigit gaudii ac voluptatis, omnino quidquid delectat aut commodi aliquid adfert atque jucundo animum perfundit sensu? Atque eadem est sententia versus 19. *Est*, *qui* nec veteris pocula Massici, Nec partem solido demere de die *Spernit*. Quibus locis adnumeres praeter Sat. I, 4, 25, — Sat. II, 1, 1. Sunt, quibus in satira *videor* nimis acer et ultra Legem tendere opus: denique Sat. II, 4, 47. *Sunt*, quorum ingenium nova tantum crustula *promit*. Nimirum haec omnia Horatius ita refert, uti expertus erat, nulla immixta aut approbationis aut reprehensionis significatione; ideoque et haec et alia similia *effectum* quendam studii impensi et operae collocatae *eventum* indicant, apertum et manifestum et de quo fere inter omnes constabat. Adde, quod Horatius in illis paene locis omnibus, inprimis Carm. I, 1. id potissimum agit, ut argumentum propositum variis exemplis illustret: quae quum pleraque ex vitae usu atque a seculi moribus ducta essent et suppeditata, simpliciter enumerasse illa ac recensuisse satis habebat. Similis est conditio loci, qui reperitur Od. I, 7, 5. *Sunt, quibus unum opus est*: ubi vix esse crediderim, qui Conjunctivum requirat: immo ipsa operis alicujus conficiendi aut absoluti notio istum Conjunctivi usum prorsus rejicere videtur. Sed quamquam longius haec disputatio processit, quam sperabam et propositum erat ab initio, tamen reliqua sunt ambigua nonnulla, et quae amplam sane ad disceptandum praebeant

materiam: de quibus, quid ego statuam, exponere necesse est, ne prius ab opere suscepto discessisse videar, quam ad finem constitutum pro virili parte produxerim. Itaque primum non mirarer, si quis rationem reddi vellet, cur Ciceroni in locutione illa perquam vulgari et convenientius visum sit et usitatius fuerit Conjunctivum ponere, quam Indicativum Modum. Est haec gravioris momenti quaestio et discriminis plena, atque infiniti etiam laboris, utpote quae et locorum Ciceronianorum omnium accuratam requirat perlustrationem et, quod multo etiam difficilius esse nemo nescit, diligentem et consideratam variarum lectionum, quas dicunt, aestumationem: cui muneri gravi admodum et laborioso nec vires meas nec otium sufficere lubenter confiteor. Verumtamen id mihi tum observasse, tum ex locis passim adnotatis atque in Grammaticorum libris congestis haud temere conjectasse videor, Ciceronem ad Conjunctivum usurpandum propterea promptiorem et paratiorem fuisse, quod ipsi, ut philosopho, proque naturali quodam veri investigandi studio et aptius videbatur et proclivius erat, quidquid vel usu expertus erat, vel animadverterat, ad hominum rerumque indolem referre et quaecunque fiebant aut agebantur, ex hominum sive opinionibus sive consiliis sive ingeniis aestumare: idque in aliis locis, qui ad id genus pertinent, de quo hic agitur, obscurius, in plerisque planius expressum reperient, quicunque ab ejusmodi perscrutatione non abhorrent. Sed vereor, ne alia ex iis locis cuique attentiori lectori subnascatur dubitatio, in quibus uterque Modus juxta positus et copulatus reperitur, sic ut ipsa illa Modorum variatione aequabilis orationis cursus turbatus videatur. Ex hoc genere est locus Horatii Epistolar. II, 2, 182. „Argentum, vestes Gaetulo murice tinctas *Sunt*, qui non *habeant*, est qui non *curat* habere.“ Optime autem omnem dubitandi causam sustulit Bentlejus, qui illam Modorum variationem adversus nonnullorum tentamina eo tuitus est, quod *habeant* esse ajebat *habere nequeant*, *quum tamen desiderent*. Quae loci interpretatio nostram de utriusque Modi singulari vi ac potestate sententiam egregie adjuvat. Est praeterea locus admodum memorabilis apud Ciceronem Tusculan. III. 31, 76. varie quidem ille ab interpretibus exagitatus, sed ejusmodi, ut quae a nobis rei explicandae ratio proposita est, satis firma et idonea appareat ad difficultates, quibus locus ille laborare videtur, tollendas: immo cavendum esse credo, ne Grammaticorum in legitima quadam orationis aequabilitate et concinnitate restituenda vel servanda effervescenti studio nimium concedatur. Quid enim juvat vulgarem sermonis usum tueri atque ad eundem numerum velle orationem procedere, ubi rerum ac sententiarum manifesta quaedam est varietas?

Eam autem facile mecum agnoscet in loco Ciceroniano, de quo modo commemoratum est, qui enunciationum appositarum accuratius perpenderit diversitatem, ex verbis potissimum conspicuam et manifestam, quibus continetur id, quod praedicatum Grammatici vocant. Etenim in loco illo Tuscul. III, 31, 76. Cicero rem supra propositam exemplis illustraturus primo eos commemorat, qui unum consolantis officium esse *putent*, malum illud omnino non esse: ut Cleanthi placuit. Atqui philosophorum placita ad animum referenda atque ex iis esse, quae propria alicujus esse merito dicas, sponte apparet. Transit deinde ad eos, qui *abducunt* a malis ad bona, ut Epicurus: quod verbum etsi non propriam vim retinet ac de mente in aliam partem traducenda dictum est, tamen conatum significat, quem oculis cernere sensibusque percipere queas, praesertim quum Epicureorum placita cum moribus totaque vivendi ratione fere coalescerent et concordarent, sic ut quaeri posset, utra disciplinae Epicureae pars plus valuerit ad consolandum, placitorum vis an morum ac vitae exemplum? Pergit porro Cicero ad id genus philosophorum, qui satis *putant ostendere*, nihil inopinati accidisse, nihil mali: id quod aliter fere fieri non posse arbitror, certe non luculentius, quam argumentis extrinsecus petitis atque ipsis sensibus in auxilium vocatis. Postremo Cicero esse ait, qui haec omnia genera consolandi *colligunt*: quae *colligendi* ratio et ipsa pro *opere* habenda est, pro suis cujusque necessitatibus absol-

vendo. [4]) Sed haec hactenus. Properare enim tempus jubet ad tertiam quaestionem, ad quam ut, quoad licet, respondeam, et usus dicendi et Grammaticorum efflagitat auctoritas: sed strictim haec attingere cogor. Etenim quaeritur, cur constanti quodam et sollenni sermonis usu in eadem illa locutione Conjunctivo proprius locus concessus fuerit, ubi praecesserit vel *Numerale* aliquod *indefinitum*, vel nomen ejusmodi, cui inesset vis *negandi*, ut *nemo, nullus* cet. Quod ne cui mirum videatur aut aliquantum distare ab lege, quam scriptores Latinos hoc in genere secutos esse contendimus, ipsa prohibet tum eximendi ac secernendi, tum negandi actio: quam utramque in illis locutionibus admissam atque expressam videmus. Nulla autem sive exemptio sive negatio fit aut fieri potest, nisi judicio adhibito aut facta quasi censura et aestumatione: quae quia tota vel ad hominum indolem vel ad rerum naturam spectat, Conjunctivi Modi usurpandi Latine scribentibus, ex nostra certe sententia, legitima quaedam imposita erat necessitas.

Schüssleri autem memoriam, crastino die ritu ac more sollenni concelebrandam, recolet oratione Latina de Joanne Matthia Gesnero, illustri doctrinae et virtutis exemplo,

Christianus Gottlob Theodorus Neumeister, Wurzbacensis,

primae classis discipulus, beneficio Schüssleriano in ipsum collato ob ingenuum et honestatis et literarum optimarum studium in primis dignus. Eum ac Sollennia nostra ut sua et praesentia et frequentia ornare et condecorare velint **Inspectores** Gymnasii **Amplissimi,** civitatis nostrae **Proceres** ac **Magistratus Gravissimi** rerumque nostrarum **Fautores Humanissimi,** omni qua decet observantia precor.

Scripsi GERAE, d. XXVII. Novembr. a. a Chr. n. MDCCCXLII.

---

[4]) Cfr. Peter ad Ciceron. Orator. 31, 109. p, 188. ubi si non ejusdem prorsus generis, at certe similem locum legimus hunc: „Histriones eos vidimus, quibus nihil posset in suo genere esse praestantius, qui non solum in dissimillimis personis *satisfaciebant* etc., cui aequiparandus est locus Ciceron. de Orat. II, 28, 121. Ceterum non dubito, quin ad eandem legem dirimi queat controversia, quae est inter viros doctos de alterutro Modo admittendo apud Ciceron. de Orat. I, 52, 226: vid. Ellendt. ad h. 1. Multo enim illa latius patet, quam nobis nunc demonstrandi copia facta est.